





(34)

JUSTA,

Matronæ Honoratiss. & Cultiss.

ANNÆ JUNGENS/

Viri Ampliss. & Consultiss.

DN. JOHANNIS DREIERI,

Regij Suecorū in Pomerania exercitûs supremi Justitiæ militaris Directoris, Illustrium ibidem Archidicasteriorū Advocati, Reipub. Stetinensis Senatoris &c. Conjugi desideratiss.

Die 16. Julÿ A. C. 1636. piè in DOMINO *consopitæ, & d. 21. ejusd. Mens. solenniter humatæ,*

PERSOLUTA.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII, ANNO 1636.

Dn. Joanni Drejero Viduo.


Dversis premitur cor, ignoratio nostra
Extendit, per se quæ brevis ipsa, viam.
Quid? neq; cum pueri primos insumimus an- (nos,
Exerit & nullum se rationis opus,
Nec quando somno noctesq; diesq; vacamus,
Usus nec mentis nec rationis inest
Vivere censemur: cum dormit, verè homo planta est.
Infans à bruto discrepat anne? parum.
Ætas quam primum crescit maturior annis,
Tunc vigilat, solo hoc tempore habetur homo.
Vita etenim scena est, mortis meditatio: mortem
Continuanda pijs, vita beata, subit.
Hæc calcanda via est, trita omnibus ante, DREERE.
Uxori invideas non licitum fugere?
Ni desiderium votorum impleverit annis
Omne tuum, scenæ servijt illa suæ.
Non somnus posthàc, ratiove haud excita, vitæ,
Quæ sine defectu, jam remoratur iter.
Hîc nos vita manet brevis, hîc mors excipit omnes,
Illic vita, necis, nescia finis, erit.

Christoph. Albinus, D.

Corcula bina DEUS quæ firmô fœdere junxit,
Hæc Mors disjungit Corcula bina modò!
Conjugibus siquidem Mors est inimica, necando
Dissocians, fidus quos sociavit Amor.
Unde tuum premitur luctû, mœrore, dolore
Cor, corde avulsum, vulneribusq; scatens.
At multis erepta malis dulcissima CONIUNX
Jam tua, & Angelicis associata choris.

Vos

Vos ubi conjunget rursus DEUS, Æthere in ipso;
Manibus interea Pax sit amica piis!
Fœcundumq́; Tibi, tristi pro funere, fœnus,
Gaudia, pro luctû, det, precor, alma TRIAS!

In solatium mœstissimi Dn. Vidui, Affinis & Amici honoratissimi, festinante calamô, condolente tamen animô, scribeb.

AND. HILTEBRANDT, MED. D.

COtidie morimur, primaq́; ab origine vitæ
Mors pendet: morimur, dum mala vita manet.
Ergo si morti per mortem clausula facta est,
Natalis vitæ contigit inde novæ;
Vitæ, qvæ mortem nescit, qvæ vivida vita est,
Et cujus nunqvam sunt peritura bona.
Ergo dum vitæ Tua morte renascitur uxor,
Vir magne, insolitis ne trepidato modis.
Reddita pro fragili vita, pro mille periclis;
Vita est, qvæ stabilis nulla pericla videt.

Hoc condolentiæ suæ levimen deprop.

M. Martinus Leuschner, Ducal. Pæd. Stet. Rector.

HEu sortes miseras! Quis non sic ingemat? Ah nos
In qua servasti tempora, summe DEUS!
Hoc & DREIERI Conjux meditata diserti
Se dudum ad mortis dulce paravit iter.
Jam voti compos, mundoq́; exempla triumphat:
Sed tristes linquit post pia fata Suos.
Hos tu CHRISTE Sacro sustenta Flamine; finem
Pone malis, aut hæc pro bonitate leva.

θεραπείας καὶ συμπαθείας ἕνεκεν.

M. Heinr. Kielmannus, Ducal. Pædag. Stet. ConR. Gr. L. & Poet. Prof.

VIR Themidi, Svadæq; sacer dulcissima Conjux
Hærentem in Turbis Te modò destituit!
Quæ Tibi consuetò solamina svavia more
Deberet porrò ferre, cadaver adest,
Parsq; Ejus melior cœlum superavit! at Ipse
Sic derelictum Te DEUS excipiet.
Desinat hinc planctus: Conjux Tua qvippe fovetur
Illius in gremiô, qvi Tibi Tutor erit.

Condolentiæ & consolationis ergo mœstus deproperavit
M. Mart: Bambamius P.L.& Sch: Sed: Sen: ConR.

PAllida mors nulli parcendo, corcula chara,
Cùm minimè speres, distrahit ante diem.
Interpres Gemini Juris, DREIERE, gravisq;
Astrææ Vindex, eloquioq; potens;
Nunc quia Cunctipotens etiam te conjuge dulci
Privavit, DOMINO sic placuisse puta;
Et calidas lacrymas, atq; acrem siste dolorem:
Non etenim perijt, quam DEUS ipse vocat;
Sed vivit CHRISTO, ridens ludibria mundi,
Ob quæ mortales tristia multa ferunt.
Ergo mœrenti redeat tibi spiritus, adsit
Solator summus saucia corda levans.

Vera condolentia attestanda ergò adjecit
Casparus Janthesius, Illustr. Archidicaster. Pom. Advocatus.

COnnubio primos stabili qvi junxit amantes,
Esse Unum voluit, qvod fuit antè Duo.
Ergo sacro quotqvot thalami sunt fœdere juncti,
Unus sunt animus, corpus, & una caro.
Hactenus & percara Tibi, Drejere colende,
Juncta fuit Conjux, Numine dante sacro:
Qvâ sociâ, placidam licuit Tibi vivere vitam;
Qvâ potuit sociâ non gravis esse labor.
Una fuit vobis mens, una eademq; voluntas;
Corpora & amborum junxerat unus amor.

Qvare

Qvare nunc meritò premis altum corde dolorem,
Qvando Deus vitæ hanc eripuit sociam.
Ipsum ast hoc solamini erit, qvòd Conjuge fidâ,
Qvòd privet vitæ Te sociâ ipse Deus.
Junxerat ille Tibi sociam, nunc reppetit idem,
Qvæ siet angelicis adsocianda choris.
Fortiùs ergo tuum ut poßis superare dolorem,
Cogita id; & vinces: qvod Tibi corde precor.

debiti honoris & observ. caussâ f.
Andreas Sandhagen S. Theol. Stud.

Ad Præstantißimum Dn. Johannem Drejerum, Juniorem, abitum desideratissmæ Matris suæ acerbissmè lugentem.

QUod varijs hominum proles obnoxia damnis,
Et plerunq; vagis sint bona mixta malis;
Id qvoq; Tu (dolor heu) expertus, *Amice*, fateri
Cogeris, heu testem, qvi probet illud, habes.
Namq; Tibi Matrem, vitæq; toriq; Paterni
Consortem, (ah qvantis dotibus aucta fuit,
Atq; DEUM coluit sincero corde supremum!)
Parcere qvæ nescit, mors homicida, necat.
O execrandum sacrati fœderis hostem!
Qui trux disjungit corda ligata fide.
Cûi natura diu concedere lumina vitæ
Debuit, huîc stamen Parca inimica secat.
Verùm, qvum certus nulli non, ordine fati,
Sit positus vitæ terminus atq; locus;
Noli tristitiæ nimis indulgere, dolorem
Mitte: malum apparens nescit obesse pijs.

Contestandæ condolentiæ causa erga p. def. Fœminam, Ejusq; Filium ῥαψῳδὶς fundeb.
Jodocus-Andreas Hiltebrandt, Stetinensis.

O Mors dente minax! Cur sic affligis honestum
Huncce Virum, uxorem dum capis atq; rapis?
Ah lachrimate omnes, & tundite pectora palmis,
Matronam mactet cùm truculenta nimis.

Ast qvid? nil juvat hic gemitus: mors omnibus æqva est,
Nos homines subitò falce metitq; suâ.
Sic Domino placuit, dedit hanc, ac abstulit, ejus
Omnes arbitrio vivimus ac morimur.
Est ea jam multis summisq; erepta periclis:
Non periit: Vivit, nosq; seqvemur eam.
Nunc defunctæ animam manibus commendo JEHOVÆ,
Defunctæq;, precor, molliter ossa cubent.

συμπ. ἕν. ῥυγ.

Benj. Bruno.

QVid gemebundus homo rigidi sub pondere Martis,
Qvô premimur, passus, fata dolenda nimis!
Qvid faciat, frustra qvi suspirâsse videtur
Pacem laurigeram? proh dolor, ille miser!
Exopterne sibi rutili post nubila Phœbi
Exortum? densa ast illa coire vider.
Sic Bellona fremit multô furibunda tumultu,
Ut cruor humanus fluminis instar eat.
Hinc fatô fixas ævi decurrere metas
Ullus, qvi cupiat, non reperitur homo.
Qvæ sunt, qvisq; subinde gemit mala, qvæq; futura,
Suspiratq; modò molle cubile necis.
Qvò tandem vitæ superatis mille periclis,
Victor ut insignis, cœlica dona ferat.
Talia qvòd suspirârit *Matrona* perempta,
In vitâ facies langvida testis erat.
Qvare fortunæ telis hanc IOVA probatam,
Longiùs haud voluit fata maligna pati.
Transtulit in cœlum, reliqvis ubi læta triumphat
Cum sanctis, & ei carmina grata sonat.

Condolentiæ testandæ ergo
Joachimus Scharstird Neob.-Megapolit.

N*On semper acris permanet africus,*
Nec trux ad arctos Parrhasias hyems
Durat: resolvitur Favonî
Et placidâ vice veris almi.

Non

Non eſt perennis Siſyphius labor.
Stat fixa tandem, nec revolubilis
Eſt ſemper incitata moles.
Gaudia triſtitiam ſeqvuntur.

Poſtqvam anxiote pectoris impetu,
DREIERE prælucens Themidos jubar,
Carpentibus minantibusq́;
Imbribus, ipſe diu laceſſis;
Poſtqvam minax nunc inſtitit Atropos
Taxo caput per funera lædere:
Divam tamen colò ſeveram,
Spernis, & horrida tecta Lethes.
Heu! Fata MATRONAM rapuere eam,
Sed qvid juvat? jam ſaltibus advehat
Plus Dædaleo delicatum,
Nectar & ambroſium vigorem,
Locetq́; ſummi Jupiter hinc poli
Auctor merentem ſedibus aureis
Et cara ſignet ampliatis
Nomina Mnemoſynes Elenchis.

Addeb. συμπάσχων

Petrus Polemannus, S. P.

Qvis non effundat lacrymas in funere triſtes?
Qvis noſtrum ſiccas poſſit habere genas?
Sic qveritur Moyſes, qvòd vita volubilis hæc ſit,
Et rapidi ſubitò fluminis inſtar eat.
Tam ſubitò tacitis labuntur curſibus anni,
Qvàm citò, qvæ loqvimur, verba perire ſolent.
Tam citò deſinimus, tam ſors hæc noſtra caduca eſt,
Tam citò, qvàm volitans plumula, vita fugit.
Vivimus ad ſummum bis ſeptem luſtra vel octo,
Et pars ætatis maxima cura fuit.
Qvis verò in culpa? DEus haud, ſed lapſus Adami;
Hinc vitæ brevitas, non aliunde venit.

Ecce

Ecce sepulta jacet! sed vivit mente Jehovæ,
Conspectuq; illum liberiore videt.

lugens apposuit
Jacobus Gaulius Sverino-Polonus.

MArs sævus furit, atq; fero petit omnia ferro,
Ut tutum toto jam sit in orbe nihil.
Mors itidem furit, atq; ferit lethaliter omnes
Cuspide, nec cuiquam parcere Parca solet.
Namq; status noster nihil est nisi pugna perennis;
Nempe quoad vivit, militat omnis homo.
Hocce pudica probè novit Matrona beata;
Hinc hostem contra fortiter usq; stetit.
Namq; dari nulli, novit, sine Marte triumphum;
Hunc ergo studuit morte parare sibi.
Quò tandem præsens lumen vitale reliquit
Accepto in cœlis, quod sine fine, bono.
Gaudia tanta ubi sunt, quæ nunquam vidit ocellus,
Et quæ voce suâ nemo referre potest.
Siccine? cur flemus? cur, quæso, corde dolemus,
Ejus quòd gaudens Spiritus astra tenet?
Sic placuit JOVÆ, cujus laudanda voluntas:
Quapropter placeant, quæ placuêre DEO.
Interea tumulo feliciter ossa cubate,
Ultima dum veniet Judicis hora DEI.

συμπαθῶν app.
Martinus Schaff Budiss. Lus.

Sic moribunda locuta est.

SOlamen vivæ semper mihi, Christe, fuisti:
corpore solamen sis moriente mihi.
Dives honore Viri, Natorum dives honore,
Natarumq; fui, vita beata fuit.
Non mortalis honor mihi, non opulentia mundi
jam placet, æternùm vivere læta volo.
Solamen vivæ semper mihi, Christe, fuisti:
corpore solamen sis moriente mihi.

lubens adponebam
Johannes Jebsen Sonderburg. Holsatus.

FINIS.

